22 Aoust 1657

Statuta collegii Medicorum Ambianensium

I

Res sacra certo loco et more statis diebus, horisq; solitis peragatur

II

Collegii Decanus habeatur non aetatis praerogativa, nec collegarum calculis, sed adscriptionis antiquitate. Jus ei sit collegium convocandi, praesidendi, proponendi, suffragia colligendi, quodq; majori deliberantium numero probatum fuerit, renuntiandi: penes eum sint fasti et instrumenta collegii

III

Quolibet anno eligatur syndicus qui bona fide res collegii gerat, nec tamen sine Collegii decreto majoris momenti quid aggrediatur.

IV

Quot annis eliguntur duo doctores quorum alter Pharmaciae, alter Chirurgiae tyrones doceat Gallico idiomate. Qui Chirurgiae praelegendi provinciam susceperit, is encheiresim Anatomicam publice moliatur, invitato prius Collegio: nulli alteri collegarum id liceat, nisi impetrata a toto consessu licentia.

V

Omnibus et singulis tam Chirurgorum quam Pharmacopaeorum examinibus Magister Antiquissimus cum duobus collegis ordine assumendis praesit; et si pharmacopaei interrogare suos candidatos renuerint, ab ipsis doctoribus examinentur juxta urbis statuta

VI

Semel quolibet ~~[illegible]~~ anno Magister Antiquissimus cum duobus collegis et Pharmacopaeis juratis lustret pharmacopolia; quidquid in iis vitiatum, corruptum et adulteratum fuerit projiciatur: nec parcatur mixtionibus ex pharmacopaeorum mente compositis

VII

Singulis annis quater convenient doctores omnes primis scilicet diebus Lunae non feriatis mensium Januarii, Aprilis, Julii et Octobris, quid artis splendori retinendo aut etiam augendo serio cogitabunt. Tum si quis cooptari postulat Collegio se sistat, non alio tempore nisi fuerit cooptati filius, cui fas sit convenire doctores qualibet ex causa et quovis die congregatos

VIII

Quoties urbem aut regionem depopulabitur morbus gravior et Epidemicus toties indicentur comitia in quibus de causis, signis, prognosi, et therapeia unusquisque mentem suam dilucide aperiente statuatur malo praesenti remedium, ratione et experientia ducibus.

IX

Ubi [illegible] pestis domusque aliqua sive lue infecta deprehenditur, res statim ad collegium defertur et ab hujus deputatis ad Magistratum

X

Convocati collegae ipsamet indicta hora conveniant in habitu decenti sicut viros literatos decet. Singuli a decano rogati sententiam dicant, ceteris placide audientibus sequentem, interturbanti imponatur a decano silentium.

XI

Omnibus deliberationibus intersit antiquissimus Magister aut ab illo proximus modo autem adsit doctorum pars multo maxima quidquid ex vincente suffragiorum numero fuerit definitum, ratum habeatur, conscriptumque ac perspicue digestum omnium chirographo muniatur, moxque in collegii commentarios referatur, et a duobus senioribus ac syndico subscribatur. Archetypus autem penes antiquissimum doctorem esto.

XII

Nemo recipiatur aut expungatur nisi prius vocatis doctoribus omnibus longe pluribus ita visum sit

XIII

Collegii consilia et decreta nemo eliminet qui secus fecerit nummo aureo extemplo in rem collegii solvendo mulctetur, ac si in eandem culpam revolvatur omni conventuum ingressione prohibeatur

XIV

Omnes ubi convenerint modeste, prudenter et amice se gerant, nec blasphemiis aut rixis honor consessus violetur, utrique crimini mulcta pro censura collegii arbitratu irrogetur

XV

Simultates et dissidia si quae etiam extra collegium exoriantur ab hoc statim componantur

XVI

Admissum contra decus artis flagitium a toto collegio vindicetur. qui vero ~~[illegible]~~ privatim tum publice objurgatus non resipuerit, eo deiiciatur

XVII.

Poena tamen delicto respondeat, nec leviores culpae districtius plectantur, sed tantum graviores ut blasphemiae, imprecationes, atroces in collegas contumeliae aut nefarium in ordinis universi gloriam facinus, idque duntaxat post iteratas comminationes.

XVIII

Semel ordine motus suo quoque loco moveatur; nec possit in utrumvis restitui: nisi ita visum fuerit collegio apud quod culpam prime deprecatus, rependet quidquid eius causa expensum fuerit

XIX

Sint omnibus Collegis tanquam Ethnici et publicani Circulatores, Agyrtae, Empirici, collegio non adscripti aut ab eo rejecti, nec cum iis fas sit consilium inire. Ab hoc autem numero excluduntur Parisiensis Universitatis Medici et qui Regi, Regiique sanguinis necnon principibus suam crebro praestant operam

XX

Juniores et publice et privatim omni cultu prosequantur antiquiores, eosque si quid in aedibus aut aegris enuntiandum sit placide audiant.

XXI

Ad medica consilia vocati se sistant hora a seniore praefinita, qui quod a majori parte probatum fuerit, aegro vel assistentibus de collegarum consensu breviter ac dilucide referet

XXII

Nullus Medicinam faciet in urbe nisi sit collegii albo inscriptus aut in Parisiensi facultate gradum aliquem consecutus, vel denique Regi Regiaeque stirpis principibus artis suam navet operam

XXIII

Quae inter medendum visa, audita, intellectaque fuerint minimeque vulgari debent silentio religiose serventur

XXIV

Ne plures aegrum ex gravi periculosoque morbo decumbentem adeat Medicus quin ipse per se aut per amicos eum moneat uti saluti rebusque suis videat

XXV

Qui suum Collegii fastis nomen inscribi cupiet nec profiteatur religionem aliam a Catholica Romana, nec artem mimicam aut mechanicam tractaverit, integris sit moribus, nec sit in eum animadversum, nulla sive fraus, perfidia, aut pravitas probetur. per quatriennium integrum rei Medicae operam dederit, et gradus in illustri Academia (quae scilicet non antecellat definita sanctionibus regiis intervalla) adeptus fuerit.

XXVI

Qui vero nihil horum defuerit Decanus omnes adeat ~~compositus~~ vel supplicem deceat. Suae autem rerum studiorum et gradus sui orthodoxae religionis et puriorum morum testimoniales litteras minime dubias tradat Decano qui eas convocatis primo quoque die Doctoribus singulis examinandas exhibebit

XXVII

Ubi toti collegio liquido constiterit in ejusmodi instrumentis nihil subesse fraudis dies supplici assignetur quo coram universo coetu, quid velit Doctoris oratione declarabit

XXVIII

Tertio ab hinc interjectis diebus Thesim Medicam assertionibus aliquot constantem ex collegii arbitratu proponat, quam omnes et singuli Doctores uno aut altero argumento impugnabunt: subindeque morbi ex tempore propositi naturam diagnosim, prognosim et therapeiam explanabit. Collegio acceptus Medicinae rudimentum ponat per annum unum ~~[illegible]~~ in urbis xenodochio vidente ordinario Medico. Ab hac autem lege eximantur Medici Parisienses

XXIX

Qui Collegii approbatione dignus fuerit Ambianensium Medicorum albo inscribatur nulla interposita mora nulloque aut quam levissimo sumptu, indignus absque ullo acerbiori aut contumelioso verbo repellatur

XXX

Novus receptus Doctor juret in attente perlectis Collegii statuta omnia

XXXI

Cum etiam suadente Hippocrate Medicorum filii aliquo favore sint excipiendi liceat ipsis quadriennalis studii lege solutis unum aut etiam alterum annum indulgere dum tamen examinatis idonei reperiantur, in caeteris eadem sint cum aliis conditione

XXXII

Nefas sit extraneis mercatoribus sua seu simplicia seu composita medicamenta habere venalia, nisi monito prius Decano qui cum duobus Collegis et Pharmacopoeiae artis Iuratis, quâ praescripserit horâ, medicamenta ipsa inspiciat, si quod dubium, putridum, rancidum, perperam fuerit compositum Magistratui statim denuntiatum

Finis.

Je Roland Merlet escuyer Docteur regent de la faculte de Medecine a paris et Doyen d'icelle declare a Nosseigneurs de parlement que suivant leur arrest du 12 May dernier a moy signifie, j'ay veu et examine les statuts dressez par les Medecins d'amiens — conjointement avec cinq Docteurs Anciens Doyens de nostre faculte Mes Jacques Perreau, Jean Merlet, François Boujonier, Guy Patin et paul Courtois par moy invitez et appellez pour ce subiect de l'advis desquels nous presentons a la cour lesd statuts avec quelques corrections suivant lesquelles soubs son bon plaisir ils doivent estre confirmez. Et en outre luy remonstrons tres humblement qu'il est important de ne souffrir qu'ils prennent qualite de faculte ainsy qu'il est porte au dispositif de l'arrest de la cour du 29 May 1656 imprime et mis au devant de leurs statuts a ce qu'il luy plaise le faire rayer avec deffenses d'appeller leur college du nom de faculte. faict a paris le 22me iour d'aoust 1657

Perreau — J. Merlet — Boujonier — Guido Patin

Courtois — R. Merlet

Exemplar Statutorum Medicorum Ambianensium 22a Augusti 1657